B. H. ALPHERTS,

DE

CHLOROSI PUELLARUM.

Edwin Clarke 58,055/B
Supp.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHLOROSI PUELLARUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

Bernardus Henricus Alpherts,

E PAGO *OMMEREN*,

DIE XIX JUNII ANNI MDCCCXXXIX. HORA I–II.

SCHOONHOVIAE,

EX OFFICINA S. E. VAN NOOTEN,

CIVITATIS TYPOGRAPHI.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

332260

PATRI OPTIMO, CARISSIMO

SACRUM.

Ardua prima via est.

OVID.

PRAEFATIO.

Solemnis illa instat dies, qua honores et privilegia Medicinae Doctoris consecuturus sum. Septem fere anni fugerunt, dulce illud tempus, *quod* Academicis Studiis *impendi.*

Pectori alte infixa haeret hujus temporis jucunda recordatio, cujus pulchra imago mihi ad mortem usque ante oculos versabitur.

Vobis Praeceptoribus Optimis, hujus felicitatis auctoribus, gratias ago quam maximas. Accipite Vos omnes, Viri Clarissimi, Philosophiae Naturalis *et* Medicinae *Professores! sinceras quas Vobis ex animi sententia offero gratias, pro egregia institutione, pro tantisque in me cumulatis beneficiis.*

Si quid unquam Medicae artis studiis debeam.

si quid hujus artis ope Societati humanae emolumenti praestem, haec omnia me Vobis debere fateor, Vestrique dignum discipulum me semper esse praestiturum, quocunque me Fortuna ferat, religiose polliceor.

Supremum Numen Vos servet Vestrasque exaudiat preces. Ut in aeternum floreat vigeatque haec Artium *et* Scientiarum *alma avita sedes!*

Tibi in primis gratias ago, Clarissime PRUYS VAN DER HOEVEN, *Promotor exoptatissime, tum hujus speciminis eligendi auctori, tum egregio in eo elaborando adjutori! Quam suaves et jucundos ex eleganti et accurata doctrinae Tuae copia animus noster percepit fructus; ex Tua honorifica amicitia, qua frui licuit, quanta in me redundavit utilitas!*

Deus O. M. Te incolumem diu servet, in ornamentum patriae, in gloriam et decus Scholae Medicae!

Neque minus grato pectore hic palam profiteor atque glorior, me id semper maxime felix duxisse, quod a Viro Clarissimo GEEL *per totum curriculum Academicum certissima amicitiae et hu-*

manitatis documenta toties acceperim, quae me Praeceptoribus commendarunt. Horum memoriam semper integram et illibatam servabo, nec quidquam unquam mihi magis jucundum et optatum erit, quam ut ostendam, quanti Tua in me collata beneficia ducam.

Vobis, Amici et Commilitones conjuncti, quos habeo in Practicis Studiis, *non valedico sed gratias ago pro amicitia, qua me honoravistis.*

Gaudeo mihi id contigisse ut uno eodemque tempore in hac Academia vobiscum vixerim, una vobiscum doctrinarum studio operam navaverim et ex sodalitio vestro tantum suavitatis et utilitatis perceperim.

Ex animi sententia spero, vobis omnibus et in studiorum terminum assequendo et in reliqua vita omnia prospere ac fauste succedant!

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHLOROSI PUELLARUM.

CAPUT I.

HISTORIA LITTERARIA CHLOROSIS.

Historia Medicinae nobis vera sed simul tristis testis est, homines, quo magis a morum simplicitate et pietate ad luxuriam et vitia deficiunt, eo magis obnoxios esse morbis. Quorum omnium morborum origo quum adhuc lateat, multi tamen sunt, qui hoc e fonte probabilem explicationem habent. Ad hos pertinere videtur *Chlorosis*, debilitatis generis humani fidelis comes. Morbum

hodie tam communem veteribus Medicis Graecis et Romanis non incognitum fuisse, forsitan conjicere licebit e sequentibus illorum scriptorum locis. Ut e libro Hippocratico spurio, inscripto: »*De his, quae ad virgines spectant*," cum fluor albus obortus fuerit, urina quasi asini apparet, et dolor imum ventrem, lumbos ac laterum inanitates detinet, crura ac manus intumescunt, oculorum cava elevantur, et oculi humescunt, color auriginosus et albus redditur, cumque deambulat, anhelatione corripitur" [1]).

Sic etiam GALENUS [2]), PAULUS AEGINETA [3]), AËTIUS [4]) hunc morbum indicasse videntur. Hi vero omnes auctores morbum non ut proprium describunt, sed ut symptoma Anomaliae menstruorum et Amenorrhoeae. JANUS LANGIUS primus fuit, qui morbum accuratius descripsit [5]). Per

---

[1]) HIPP. *Oper. omn.* Sect. V. pag. 567. Edit. FOËSII Francof. 1624.

[2]) *De causis symptom.* Lib. 1. Cap. 7.

[3]) *De remedica.* Lib. I. Cap. 1.

[4]) *Contract. Medicin.* Tetrab. III. Serm. 1. Cap. 23, et Tetrab. IV. Serm. 4. Cap. 10.

[5]) *Epist. Medic.* Lib. I. Epist. 21. An. 1750.

longum tamen adhuc tempus nomine tali caruisse videtur, quod ab omnibus assumtum fuerit.

Hoc docent varia ipsi nomina tributa, e.g. *febris albae* MERCATI: »non quia tales semper febricitant, sed quia speciem febrientium prae se ferunt, nimirum debilitatem et pulsus celeritatem et frequentiam, non ob caloris augmentum sed ob ventilationis defectum;" *morbi virginei* RUD. A CASTRO: »quia virginibus peculiaris ac frequentior;" *febris amatoriae* LANGII: »pallorem contrahunt; non tamen propterea *amatoria* dicitur, ut quibusdam visum, quia hic color amantibus aptus, siquidem pallet omnis amans, secundum tritum illud Nasonianum: *Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti,*" sed potius quia amantibus aut amabilibus virginibus ac pulchrioribus saepe accidit;" *albae icteritiae seu icteri albi* ETTMULLERI: »propter crudum et pituitosum humorem, cujus non exigua portio ad cutaneas partes permeat;" *foedorum virginum colorum* BALLONII: »quia color semper foedus fit." Ita ex interpretatione horum nominum ab ipsis auctoribus datâ, patet cur sub talibus morbum descripserint.

Quamquam haec synonyma cum Chlorosi a recentioribus habentur, multum tamen abest ut in illis scriptis versantes simplicem et veram morbi imaginem inventuri simus, qualis ab ipsis recentioribus nobis depicta est; sed potius Choas multorum morborum et symptomatum, ut vitiorum menstruationis, morborum hepatis et lienis, cacheniarum etc., ita ut certe prudentius et verius agere videamur, si illi morbi non ut synonymi cum Chlorosi a nobis habeantur. Sed in Capite de diagnosi amplius de his agemus.

Sennertus primus dedit morbo nomen Chlorosis, quae est vox graecae prosapiae *ἀπὸ τοῦ χλωροῦ* vel *ἀπὸ τοῦ χλωρίζειν* viride esse, ut illam Graecorum antistites deducant, quod vocabulum vel *ἀπὸ χλόης* herbâ vel *χλωεροῦ* colore viridi-luteo, qualis in recenter germinantibus observatur herbis, deducitur. Falso tamen ille [1]) nomen hippocrati tribuit, quod vitium etiam commiserunt varandé [2]) et rivière [3]), nam nullibi in ejus

[1]) *De morb. Mulier.* Part. II. Sect. 3, Cap. 2.

[2]) Lib. I. *de morb. Mulier.* Cap. 1.

[3]) *Praxeos Medic.* Lib. XV. Cap. 1.

scriptis invenitur. A Franco-Gallis vocatur *couleurs pâles*, ab Anglis *Green-Sickness*, a Germanis *Bleichsucht*, a Neêrlandis *Bleekzucht*.

Quemadmodum Chlorosis postremis temporibus multo frequentius occurrere videtur quam antea, sic etiam hisce temporibus ejus natura praesertim cognita facta est a medicis et ab aliis morbis distincta, in quo opere prae aliis Medici Germani feliciter versati esse videntur.

CAPUT II.

DEFINITIO MORBI.

Ut sequendum consilium praeclari Romanorum Oratoris putamus, dicentis:" omnis quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo disputetur," ita primo loco quaeramus definitionem geneticam.

SIEBOLDIUS morbum definivit his verbis [1]: »Chlorosis est morbus vitae plasticae, cujus causa proxima quaerenda est in potentiae conformatricis languore. Sed ita juxta CARUM [2]) morbus non distincte definitus est, et rogat, quomodo igitur Chlorosis ab alia conditione atrophica dig-

---

[1]) *Handb. der Frauenzimmer Krankh.* Th. I. P. 281.

[2]) *Lehrb. der Gynäkologie.* Ed. Leipzig 1820 Th. I. Pag. 162

noscatur, a tabe, a marasmo? Igitur audiamus CARUM de re ita disserentem: »Quoad causam proximam Chlorosis, illa quaerenda est in virium conformatricium vitio; nam functiones vitae animalis hic secundarie esse affectas facile intelligitur. Sed accuratius inquiramus, hocce virium conformatricium vitium praesertim observatur in processu haematoseos. Quamquam igitur potentiae conformatricis languorem in genere et imperfectam haematosin in specie consideramus ut causam proximam Chlorosis, tamen animadvertendum est tale quid non exprimere naturam propriam Chlorosis, dum haec causa sunt multorum aliorum morborum etiam sexus masculini, ut scorbuti, morbi maculosi, etc. Sed duabus adhuc conditionibus opus est ut haec naturam propriam Chlorosis exprimant, nimirum ut cadant I°. in sexu sequiori, II°. tempore pubertatis, quae brevi tempore erit, vel per breve tempus jam affuerit."

JÖRGIUS vero [1]): »Si quaeramus (inquit), quae

---

[1]) *Handb. der Krankh. des Weibes*, P. 189. Leipzig 1831.

sit natura vel causa proxima hujus morbi, non aliter facere possumus, quin accusemus virium conformatricium languorem, cui accedit imminuta sanguinis facultas se cum oxygenio conjungendi, quibus anomalia functionum uteri subsequetur. Quas CARI et JÖRGII definitiones si comparemus cum iis, quas recentissimis temporibus dederunt BRÜCKIUS [1]) et RÖSCHIUS [2]), videbimus eas inter se convenire.

Huicce definitioni continuo adjungam descriptionem historicam, qua morbus per sua signa describitur.

---

[1]) *Beob. und Bemerk. über die Heilkräfte Driburgs in* HUFELAND'S *Journ. für Prakt. Heilk.* Märt 1836. Pag. 64.

[2]) *Die Bleichsucht monagr. dargestelt, in Analekten über chron. Krankh.* 2. Hft. Pag. 193. Stuttgard 1838.

CAPUT III.

SYMPTOMATOLOGIA GENERALIS.

In Chlorosi multa sunt signa, quae jam in externo habitu corporis in oculos cadunt.

Ad haec pertinet pallidus faciei color, subinde virescens ut in canthis oculorum.

Apud auctores tamen varietates hujus coloris in hoc morbo notatas invenimus, ut color terreus, cadaverosus, cretaceus, griseus, quod partim colori naturali, qui in diversis populis imo in familiis differt, adscribendum mihi videtur; unde factum est ut illi auctores, qui in regionibus meridionalibus huncce morbum descripserunt, prae aliis hujus coloris varietates notaverint, partim quod morbum non bene ab aliis e. g. dyscrasiis distinxerint. Sed quum in diagnosi tantam fidem huicce colori ha-

beant auctores, quamquam e tam diversis causis oriri possit; nam, ut est in proverbio, »*qui pallet* aut studet, aut amat, aut aegrotat," et in multis morbis occurrat, videamus an hic aliquid proprium habeat, quo possit ab aliis distingui. Ita apud BRÜCKIUM [1]) accuratius illum colorem descriptum legimus: »pallor vere chloroticus quodammodo translucidus est; cutis non ut in multis morbis contracta est, sed hic adest species falsa turgoris vitalis, quem turgorem lymphaticum nuncupabo." Hic turgor lymphaticus characteristicus elasticitate sua differt ab oedemate, et anasarca, in quibus serum sanguinis partim effusum est in telam cellulosam, unde fit ut in illis cutis digiti impressi foveolas servet, et potius pastea facta sit.

Quod non ita fit in Chlorosi, quia serum vasis contentum est. In statu anaemiae, in marasmo vasa cutis collapsa sunt, in Chlorosi sanguine lymphatico turgent. Color faciei pallidus productus a multis morbis abdominalibus, a sup-

---

[1]) L. l. pag. 68.

pressione mensium, revera differt a colore Chlorotico, quia sanguis in illis minus characterem lymphaticum, sed vulgo venosum assumit.

Tandem a pallore morbis acutis, animi motibus inductus eo nomine differt, quod hic color periodicus est, dum in chlorosi, ut ita dicam, potius est chronicus, quamquam, ut postea videbimus, species est chlorosis, ubi hic calor aliquando congestionibus mutatur, sed tunc statim iterum ad pallorem redit.

Propter cutem tumidulam, laxam in Chlorosi cava sub oculis, praesertim matutino tempore, laxa sunt et genae pendulae.

Non solum cutis externa faciei, sed etiam interna mucosa pallidior est, ut gingivarum, labiorum, linguae, buccarum, caruncularum oculorum; quae signa quoad colorem mognopere juvabunt in Aethiopum puellis, quae, si fides habenda sit MUNGO PARKIO, etiam hoc morbo laborant.

Cutis est sicca, perspiratio insensibilis minuta, secretio glandularum sebacearum morbosa; unde habitus cutis saepe squalidus, hic et illic puncta nigra, praesertim ad alas narium circa fron-

tem et mentum monstrans, quae sunt exitus ductuum excretoriorum illarum glandularum, sebo repletorum, et circa quos cutis arealae sub forma inflammatur.

Cutis tandem friget, praesertim extremitatum et apicis nasi et aurium, quam ob causam calorem et maxime radios solis amant.

In habitu corporis externo aliquid infantile exprimunt, quod etiam in lineamentis faciei conspicitur, sed praecipue in conformatione thoracis et pelvis; mammae sunt parvae, et saepe pubes in monte Veneris non prodit. Quamquam macilentae sunt, tamen propter turgorem illum lymphaticum bene nutritae apparent.

Chloroticae tandem omnino aliquid peculiare habent, quod non facile verbis exprimi potest, conditionem potius passivam et aliquid peculiare monstrant, et uti de *Cariae* incolis dicere solebat STRATINICUS CITHAROEDUS: »quasi mortuae obambulare videntur.

Cordis aegri sequentia sunt symptomata. Animi motibus ut ira, terrore, corporis motibus vehementioribus; cursu, scalarum ascensione et eti-

am levioribus ut obambulatione, oriuntur palpitationes cordis admodum molestae, imo etiam in quiete, plerumque initio noctis. His tunc somnus tantopere optatus ab iis avertitur, et oritur sensus ingratus internus capitis vel abdominis et anxietas, ita ut cogantur lectum relinquere

Hae palpitationes nervosae bene sunt distinguendae ab iis, quae vitio cordis organico oriuntur, ne graviter in cura erretur, in quem errorem viri magni nominis inciderunt, ut BOULLAUDIUS, quemadmodum de se ipse testatur.

Cordis actio deficit aëre, expiratione multorum hominum vel alio modo impuro, ut in theatris, in aedibus sacris, et syncope vel leipothymia oritur. Pulsus arteriarum saepe mutantur, vulgo tanguntur parvi, debiles, frequentes, celeres, 84—96 et plures ut 130—140 [1]) in sexagesima parte horae. Aliquando sunt lenti, ut in specie chlorosis cum torpore nervorum.

In arteriis magni luminis, et praesertim in carotidibus et cruralibus, recentiores de morbis

---

[1]) BRANDIS, *Erfahr. üb die Wirkung der Eisenmittel.* Pag. 106. Hanover 1803.

cordis auctores audiverunt multos sonos vel harmonicos vel dissonantes. Inter illos certe nemo magis musicus est quam BOULLAUDIUS, sic ille eos sonos describit: » les carotides et les crurales des chlorotiques font entendre ces bruits variés qui tantôt imitent le ronflement d'un diable, le sifflement ou le gémissement du vent qui traverse une serrure ou une fente étroite, le bourdonnement de certains insectes, le roucoulement plaintif de quelques oisseaux [1]); et alio loco [2]): » les artéres dans ce malade ne ronflaient pas seulement comme un diable ou un sabot, mais elles sifflaient, roucoulaient et chantaient une sorte d'air monotone et grossier."

Exploratione externa digitarum ope in iis arteriis sensit BOULLAUDIUS vibrationem quandam, *un frémissement vibratoire ou cataire* [3]).

Uti testantur historiae morbi chloroticarum ab illo datae, hi soni tanquam symptoma chlorosis ab eo habentur.

---

[1]) *Traité Cliniq. des maladies du coeur.* Brux. 1836 pag. 333.

[2]) Idem lib. pag. 74.

[3]) L. l. pag. 80.

Sanguis e vena missus chloroticarum, sequentes habet proprietates physicas.

Vis attractionis inter diversas partes, quae placentam formare debent, minor est, unde fit ut ea sit mollior, minus cohaerens et omnis cruor ea non comprehendatur. A majori copia seri turbidi circumdatur. SUNDELINUS vidit talem sanguinem obtectum specie crustae translucentis, gelatiformis, glutinosae.

Analysis chemica hujus sanguinis instituta est a FÖDISCHIO [1]), cui adjungit analyses sanguinis adolescentis sani, puellae sanae, et Pneumoniae laborantis.

Juxta eum igitur sanguis adolescentis saui in 100 partibus continet:

Cruor.	Seri.	Fibrin.	Ferri.	Aquae.
13,611.	8,801.	2,460.	0,880.	74,248.
15,000.	9,320.	3,111.	1,001.	71.568.

Sanguis puellae sanae:

12,400.	8,601.	2,511.	0,801.	75,687.
14,400.	8,920.	2,501.	0,900.	73,278.

---

[1]) *Allg. med. Ztg.* VAN PIERER, 1832. N°. 97.

Sanguis Chlorosis idiopathicae:

9,141.	9,261.	0,640.	0,330.	80,268.
8,590.	8,221.	0,631.	0,501.	83,075.

Sanguis pneumoniae laborantis:

Cruor.	Seri.	Ferri.	Aquae.
19,831.	13,022.	0,990.	66,156.

In Pneumonia igitur et Chlorosi conditiones sanguinis sunt contrariae.

Fribina in sanguine chlorotico erat mollior, magis albuminosa, et pigmentum rubrum facile ab ea ablui poterat.

Respiratio in quiete tarda est et profunda, differt igitur a celere et citatiore hecticorum. Sed motu corporis vel animi forti facile turbatur et anhelant vel dyspnoea oritur, quam ANDRALLIUS vocat *dyspnoeam Chloroticam*.

Sumptomata nervosa duabus sub formis prodeunt, vel I⁰. aucta est stimulorum perceptio, et celer sed debilis in eos agendi facultas, vel II⁰. ad stimulos est surditas, omnibus functionibus languentibus. A priori forma dependent magna animi mutabilitas: risus, fletus, ira, terror et sensuum fallaciae; tinnitus aurium, scintillae ante oculos,

vertigo, ab altera magna propensio in somnum, oblivio, metus mortis, amor solitudinis et alia.

Debilitas musculorum est symptoma constans; hi energeiam perdiderunt, sunt molles, flaccidi, nullis pertinacibus exercitiis apti. Prodit sub diversis gradibus a dedolatione et tarditate motuum ad tremores et convulsiones, imo ad paralysin artuum inferiorum, qualem saepe in puellis chloroticis ortam vidit BRANDISIUS [1]. Quae quamvis ita sint, BRANDISIUS [2]) tamen sequentia narrat: »juvencula chlorotica Driburgensis lubentissime saltabat, omnis alius corporis motus, tarda obambulatio summe defatigabat et palpitationes cordis producebat; per horas tamen gratiose saltabat, et hoc non solum momento bene ferebat, sed post longum etiam tempus sese melius sentiebat."

Nonne hoc pendet a vita nervorum voluntate aucta, qua impulsus fortior sequitur in musculos? Sic apud ipsum auctorem legimus casum puellae, quae per plures annos motum artuum inferiorum perdiderat, sed quae per quartam horae partem

[1]) L. l. Pag 166.
[2]) L. l. Pag 211.

ambulando locum petebat, ubi audiverat se conspecturam esse hominem, cujus scriptis legendis semper valde delectata fuerat.

Recentiores in eo differunt ab antiquioribus, quod Amenorrhoeam considerent ut symptoma morbi, et non ut ejus causam efficientem constantem, cujus Chlorosis erit symptoma. Quapropter, quemadmodum jam antea vidimus, factum est, ut Chlorosin non morbum habuerint, sed symptoma Amenorrhoeae. Ita, ne de antiquioribus loquar, morbum descriptum legimus apud PETRUM FRANKIUM sub nomine Amenorrhoeae tiruncularum et inter recentiores apud HAASIUM [1]). Ad quem errorem multum contulisse mihi videtur, quod non rite distinxerint inter menstrua retenta, menoschesin, et inter suppressionem mensium, menostasiam. Illa in hoc morbo observantur et tunc ut plurimum conjuncta sunt cum torpore potentiae conformatricis, vel cum impedita evolutione systematis genitalis, ad quod summopere attendendum est, ne, ut saepe accidit,

---

[1]) Cf. *Chron. Krankh.* 2te Aufl. Leipzig 1820. 1. Bd. Pag. 556.

graviter erretur in cura. Multum tamen abest quin hodie ut antea retentio mensium consideretur ut symptoma constans morbi; nam menses saepe fluunt, sed plerumque crasi sunt mutati, et magis serosi, vel periodo peccant et raro eveniunt et parciores. In his igitur nihil videtur tam constans quam inconstantia ipsa. Quod facile intelligetur, si attendamus ad physiologiam menstruationis, quae intra terminos sanitatis magnopere differre potest in diversis puellis [1]).

Jam a priori ex theoria concluderemus fore ut digestio, fons assimilationis, graviter esset laesa, sed observatio aliter docuit. Initio morbi functio digestionis vulgo bene peragitur, appetitus bonus est et alvus regularis. In decursu vero morbi alvus primo vulgo fit irregularis, adstricta, obstipata, vel frequens laxa et mucosa. Haec sequuntur cibi appetitus imminutus, aliquando depravatus, et tunc nisi certum quemdam cibum appetunt, et alium quemlibet fastidiunt ut in malacia; vel ea comedere avent quae alioquin comtemnunt, ut

---

[1]) Cf. ROUSSEL, *Syst. Phys. et moral de l'Homme et de la Femme.* Paris 1805.

terram, cretam, in pica. Quae perversitates appetitus vulgo non nisi in Chlorosi cum aucta stimulorum perceptione, ut postea videbimus, occurrunt, et quod symptoma bene ponderandum est et cum aliis comparandum, ne morbus confundatur, ut factum est cum hysteria.

Tandem digestionis symptomatum scenam claudunt, post alimenta assumta, nausea, vomitus, sensus ponderis in epigastrio, acor ventriculi, flatulentia, sensus ardoris et doloris in ventriculo, et abdomen tensum, durum, tympaniticum. Urina est pallida, aquosa, tenuis.

Ecce symptomata generalia Chlorosis, haec tamen omnia non simul observantur, sed in diversis casibub diversimode conjuncta.

CAPUT IV.

SPECIES CHLOROSIS.

E constanti modo, quo series symptomatum conjunctim prodire solet, quasdam species morbi constituerunt. In his symptomata nervosa ut fundamentum assumserunt, cui duas superstruxerunt species, quarum prior vocatur Chlorosis cum stimulorum perceptione adauctâ, et cum debili incitatione vitali, altera Chlorosis cum torpore nervorum et surditate ad stimulos. Prima species a GRAFFIO [1]) descripta est sub nomine Chlorosis arterioso-sanguineae, et a WENDTIO [2]) sub nomine Chlorosis atonicae ex sensibilitate

[1]) *Med. Chir. Zeitung* von EHRHARTSTEIN, 1836. II. Bd. Pag. 34 et 35.

[2]) RUST, *Magazin für die ges. Heilkunde.* XXXIII Bd. 3 Hft. Pag. 437 et seq.

anomala. Ad hanc etiam ea pertinere mihi videtur, quam scriptor anonymus, in *diario Hufelandi* [1]) sub numero quarto comprehendit.

Sequentibus signis cognoscetur. Character ejus communis est, magna mobilitas systematis nervei et sanguinei. Hinc magna illa animi sensibilitas et mutabilitas, qua nunc gaudent, rident, lacrymas fundunt, et e causa levi terrore afficiuntur, tunc solitudinem amant vel frequentiam hominum.

Hinc facilis pulsus mutatio, qui plerumque parvus levem ob causam fit frequens; hinc color faciei pallidus aliquando ruber fit ut phthisicorum, quae rubedo tamen cito iterum disparet. Motu etiam levi oriuntur palpitationes cordis, difficilis respiratio, anxietas, dolores veloces in pectore, dolor in capite.

Puellae, quarum incrementum corporis cito factum est, staturae procerae, gracilis, et quae antea scrophula propria laboraverunt, semini-

---

[1]) XX. Bd. Pag. 25 et seq. Hic auctor qui varias adumbravit morbi varietates, quemque secuti sunt ADOLPH HENKE et ELIAS VON SIEBOLDT, culpandus videtur, quod una cum simplici etiam complicatas formas descripsit.

um hujus morbi speciei proprium offerunt. Ut causae occasionales hic prae aliis peccant perversa tum psyches tum corporis educatio divitum, potulenta et alimenta irritantia, quae in hac constitutione saepe maxime conferunt ad pubertatem praematuram provocandam. Haec species prae aliis complicatur cum phthisi pulmonali tuberculosa, quod triste connubium in morbi historiis saepius animadvertimus, praecipue in iis, quibus evolutio pectoris simul erat impedita, et ejus compages ossea tenera [1]). Secundam speciem multis nominibus a priori differre e sequentibus patebit.

Systema nervosum torpet, quod cognoscitur ex animi habitu placido, aequo, et quemadmodum in adolescentibus melancholia, ita in puellis tristitia, amor solitudinis [2]). Magna proclivitas in somnum et pigritiam. Provincia nervi sympathici, quae praeest vitae plasticae, ad stimulos pariter est surda. Digestio est laesa saepe jam a principio morbi, appetitus imminutus, acidum in primis viis, rarius diar-

---

[1]) Cf. *Hufel. Journal*, XX. Bd. Pag. 25 seq.

[2]) Brandis, l. l. Pag. 128.

rhoea mucosa, saepius alvi obstipatio, color cutis hic semper pallidus est vel magis in χλῶρον vergens; adspectus torvus, omnis splendor oculorum disparuit; superficies corporis tumidula, frigida.

Hac in specie juxta WENDTIUM fluor albus fere perpetuo adest [1]), vel menstrua parca. Quae habitum corporis infantilem, parvum, constitutionemque phlegmaticam habent, quae antea scrophula mesenterica laboraverunt, Chlorosis torpidae seminium alunt.

Facile recidivum facit tempore hiemali et vernali, quemadmodum observavit RÖSCHIUS [2]). Complicatur tandem cum statu hydropico diversarum partium vel cum statu mucoso; unde phlegmorrhagia pulmonum, diarrhoea mucosa, vermes (Ascaris lumbricoïdes), quas in pluribus observavit BRANDISIUS.

Illa, quae sub numeris 1, 2 et 5 ab auctore in *Hufelandi diario* recensetur, huc pertinet, ut et Chlorosis atonica ex cohaesione imminuta WENDTII [3]);

---

[1]) L. l. Pag. 434.

[2]) Cf. l. l. Pag. 173.

[3]) L. l. Pag. 334.

Pars tantummodo Chlorosis descriptae a J. MASON GOOD sub nomine *Atonic-Green-Sickness* huc pertinet [1]), qui auctor non bene distinxit inter hancce speciem et superiorem.

Ad has dictas species tertiam adjunxerunt, nempe Chlorosin hypersthenicam, floridam, calidam, a WENDTIO Chlorosin fortiorum seu floridam ex cohaesione adaucta dictam, quam quo minus assumamus multa vetant; nam credimus ab auctoribus symptomata suppressionis mensium pro hacce specie esse habita, cujus rei expositioni tamen in Capite de Diagnosi magis aptus locus esse videtur.

TROUSSEAU, medicus Franco-Gallus, symptomata mensium ut fundamentum divisionis assumsit et distinxit inter Chlorosin cum menorrhagia et Chlorosin cum amenorrhoea; quae tamen divisio symptomatibus inconstantibus, ut jam antea patuit, nititur, ita ut assumi non posse videatur.

Quoad genesin morbi, eam dividunt in Chlorosin primariam, secundariam et symptomaticam. Primariam vocarunt, quando vires vitae plasticae non sufficiunt ad opus evolutionis systematis ge-

---

[1]) *The study of Medicine*, Vol. IV.

nitalis in puellis perficiendum vel sustentandum. Hic igitur sunt symptomata systematis genitalis secundaria.

Chlorosis secundaria est, quando systema genitale quidem evolutum est, sed ejus functionum abnormitas vel perversitas in causa est, ut status chloroticus oriatur. Hic symptomata systematis genitalis sunt primaria [1]).

Tandem Chlorosin symptomaticam dicunt, quando morbi praegressi, vel illi qui adhuc adsunt, in causa primaria sunt, ut systema genitale non rite evolvi possit, et ad quos in cura prae aliis attendendum est [2]).

Juxta contubernium morborum in eodem corpore, Chlorosin in simplicem et complicatam diviserunt. Chlorosis cardiaca, scorbutica aliaeque species, quarum meminerunt scriptores, unicuique in eorum scriptis versato probant aliorum morborum symptomata perperam pro Chlorosi haberi.

---

1) Cf. CHOULANT, *Spec. Pathol. und Therap.* 4 Ed. Leipzig 1838. Pag. 250.

2) Cf. HORN, *Archiv für prakt. Medicin und Clinik.* V. Bd. 1. Hft. Pag. 79.

CAPUT V.

DIAGNOSIS.

Diagnosi ea, cujus imprimis post ARETAEUM WICHMANNUS auctor et interpres exstitit, disjungunt morbos, qui licet formae similitudinem prae se ferant, ob naturae tamen differentiam diligenter discernendi sunt. Haec quum nitatur singulorum eorum morborum cognitione, tantum eorum breviter adumbrabo, quanto opus est ut continua comparatione cum symptomatibus constantibus Chlorosis, differentia in oculos cadat. In capite antecedente jam diximus suspicionem nobis natam esse, symptomata menostasiae ab auctoribus perperam haberi pro Chlorosi, quod eo accuratius nobis indagandum videtur, ne cura instituatur perversa.

Ita illam Chlorosin dynamicam ab auctoribus expositam legimus.

Symptomata sunt: color cutis faciei ruber, pallidus, terreus, variabilis, pulsus duriusculus, plenus, frequens; congestiones activae periodicae ad partes nobiliores corporis, ad caput: unde dolor pulsans syncipitis, vertigines, scintillae ante oculos etc., haemorrhagiae activae, levantes, periodicae ex naso; ad pectus: ex quibus dolores pungentes, dyspnoea, anxietas, haemorrhagia pulmonum copiosa, cujus in Chlorosi dynamica sequentem casum describit RÖSCHIUS: » foemina omni mense magnam copiam sanguinis spumantis tussiendo e pulmonibus perdebat, non diu postquam contraxerat matrimonium. Hancce haemorrhagiam praecedebant sensus oppressionis in pectore et dyspnoea, quae post eam cessabant. Methodo antiphlogistica derivante per longum tempus protracta, curata est. " Porro congestiones ad cor, unde palpitationes, endocarditis Chlorotica BERNDTII, quam octies sibi occurrisse narrat. In hisce casibus sensus aderat constrictionis in regione cordis, cum dolore pungente, ictus cordis erat fortior, et

saepe palpitationes; pulsus parvus, mollis et ejus rythmus saepe non isochronus cum ictu cordis, stethoscopii ope auditur sonus, quem Franco-Galli dicunt *bruit de soufflet.* Haec symptomata augentur durante tempore, quo catamenia fluere deberent. Tandem in hacce specie Chlorosis dynamicae congestiones observantur ad uterum, dolores lumborum, molimina ad menstrua.

Plerumque e causis externis manifestis oritur ut e temperiei aëris inconstantia, e potibus spirituosis. Afficit puellas robustas, quibus menstrua saepe jam fluxerunt, et post eorum suppressionem. Cura antiphlogistica, venaesectionibus etc. tutius ei medemur. Sanguis saepius crustam inflammatoriam monstrat.

En Chlorosin floridam auctorum, in qua certe pauca adsunt signa Chlorosi propria, nisi forsitan color faciei pallidus, palpitationes, dyspnoea. Sed e contraria causa, quam illa quae Chlorosin producit, haec orta censeo. Plura tandem Chlorosis signa desiderantur, ut: debilitas musculorum, sanguis, pulsus; et multa adsunt, quae nunquam in Chlorosi observantur, et conditio-

nem Chlorosi contrariam significare videntur.

Sed hanc speciem si cum symptomatibus menostasiae comparemus, merifice cum ea convenire videntur, ita ut non temere agere videamur, si eam ut cum vera natura Chlorosis non convenientem rejiciamus.

Ea ipsa menostasia pro Chlorosi habita, alius erroris fons mihi exstitisse videtur, nempe ut morbi lienis confunderentur cum Chlorosi. Ita legimus apud BRÜCKIUM [1]) »in pluribus chloroticis aderat dolor pungens lienis." Alii invocant auctoritatem BALLONII [2]) et PORTALLI [3]), ut suam confirmarent, quos viros dicunt saepius intumescentiam lienis in Chlorosi observavisse. Monendum tamen est, illos duumviros non loqui de Chlorosi, sed hanc intumescentiam oriri aliquando in puellis ante primam apparitionem menstruorum vel in eorumdem oppressione. Casus autem in quibus menostasia in causa fuit morborum lienis, non rari sunt.

---

[1]) L. l. pag. 70.

[2]) *De morbis mulierum et virginum.* Opp. Venet. 1736.

[3]) *Sur la nature et le traitem. de quelques malad.* Vol. II. P. 36 et 192.

HEUSINGERUS eorum plurimos refert. In puella 22 annos nata post menostasiam, intumescentiam et dolorem lienis orta ipse vidi, quae comitabatur febris continua remittens; post tres venaesectiones, quarum sanguis habebat crustam inflammatoriam, et post applicationem hirudinum in regione lienis intumescentia disparebat et febris cessabat: manebant tamen palpitationes cordis, dolor lienis et color faciei terreus sub oculis ad fuscum vergens; nam post repetita balnea pedum et venaesectiones in pede menstruatio non restituebatur.

Sed quomodo intelligendum est placitum GROTTANELLI: »post obstructiones et indurationes lienis inveteratas in foeminis oriri Chlorosin." Num forsitan symptomatibus, quae comitari solent illas lienis affectiones in errorem ductus fuisset? Sed non audeo neque possum ferre sententiam de viro magno. Hoc certum est, illa symptomata multis nominibus cum Chlorosi convenire, et morbum lienis saepe oriri ea ipsa aetate, qua chloroticae fieri solent puellae; ita ut saepe non nisi difficulter ex syndrome symptomatum et ex causa morbi rite cognita concludere possimus ad ejus naturam.

Congruum itaque duxi quaedam de morbis lienis breviter comparare cum Chlorosi. In morbis lienis quoad colorem duae varietates observantur [1]), est vel μελάγχλωρος vel cadaverosus. HEUSINGERUS tamen animadvertit priorem illum colorem et ejus varietates multo saepius occurrere quam posteriorem, quemadmodum etiam patet ex 72 morbi casibus, qui in tabula operi adjecta inveniuntur, ubi colorem flavum, talem in nigrum vergentem, colorem aureum continuo memorat. MORGAGNUS tamen colorem pallidum faciei in lienosis suae curae traditis saepius vidit [2]). Differt tamen ille color magis terreus a colore chloroticarum antea descripto.

Palpitatio cordis non est symtoma constans, juxta JACQUINELLE, BREE, BARTLETT et TULPIUM, qui eam observarunt; revera differt a palpitatione chloroticarum, neque ita frequens est neque tam levi de causa oritur.

Pulsus in genere est duriusculus, tensus;

---

[1]) Cf. HEUSINGERUS, *Betr. und Erfahr. üb. die Entz. und Vergrösserung der Milz.* Eisenach. 1820, P. 47.

[2]) Cf. Ejusdem *Epist.* XXXVI. a. 16 et a. 17

aliquando lentus et mollis in splenitide venosa. Sanguis e vena missus juxta BAADERUM est lividus, juxta HEUSINGERUM niger et crassus.

In illis 72 morbi historiis fere semper mentionem factam legimus intumescentiae vel doloris lienis, qui dolor variabit juxta locum quem occupabit morbus lienis, vel peripheriam vel internam partem, ita ut saepe non nisi sensus ponderis adsit, et magis in scapula vel in sinistra parte pectoris, quam in liene ipso sentiatur.

Sic etiam saepius febris morbos lienis concomitatur.

Tussis saepe adest sicca, symphatica.

Urina colorata, nigra aliquando, ut et alvus.

Si causas indagemus, manifeste differunt ab iis, quae Chlorosin constituunt, uti jam antea vidimus, et non cohaerent cum impedita evolutione systematis genitalis.

Videmus igitur in morbis Lienis multa adesse constantia quae non adsunt in Chlorosi, et symptomata, ut: color faciei, palpitationes cordis, quae quum primo intuitu convenire videantur cum symptomatibus Chlorosis, accuratiori tamen examine

ab his differre; tandemque plura desiderari, quae pathognomonica sunt in Chlorosi.

Perdifficile tamen est statim a Chlorosi distinguere conditiones, quae ab anaimia, a vigiliis diu protractis, a viribus exhaustis et similibus oriuntur, et quibus etiam color cutis pallidus, debilitas musculorum et palpitationes cordis propria sunt. In his tamen, causa sublata, haec symptomata citius disparebunt: nam non oriuntur a vero morbo, sed ab aegritudine temporaria; vasa cutis magis erunt collapsa, quam quidem sanguine seroso impleta. Hae causae tamen nocentes diu protractae tandem Chlorosin constituent in corpore debili, uti in Capite de Aetiologia videbimus.

CAPUT VI.

AETIOLOGIA.

Hoc caput in duas partes dividemus, in priore considerabimus propriam ad hunc morbum proclivitatem, quam faciunt aetas, corporis constitutio, dispositio hereditaria, morbi praegressi; in altera vero diversas potentias nocentes.

Plerique de hoc morbo auctores, ut: CARUS, JÖRGIUS, HENKE,[1]) LUCÄ, BRÜCKIUS, RICHTERUS [2]), RÖSCHIUS morbum habent evolutionis, tempore pubertatis in puellis oriundum, in quibus vita conformatrix torpet et non sufficit ad systema genitale rite evolvendum; vel ubi pubertas praematura

---

[1]) *Entwickelungskrankheiten.*

[2]) *Spec. Therap.* 2 Aufl. Berlin 1817. Pag. 753.

facta est in corpore, in eo statu versante, ut hoc opus non adhuc sustinere possit [1]).

In habitu externo corporis hac aetate duas varietates animadvertimus, vel declarant evolutionem generalem corporis impeditam esse statura parva, facie puerili, etc; vel ejus incrementum nimis cito factum esse, statura procera, gracili, tenera. Vulgo temperamenti sunt vel nervosi, vel phlegmatici, vel mixti, cum oculis coeruleis, capillis

---

[1]) Ut in nostris regionibus in genere ante 14 aetatis annum. Puellae Aethiopicae Africanae jam 8 aetatis anno puberes sunt, juxta testimonium LINNAEI. In Italia, Hispania et Gallia meridionali anno aetatis 13 menstrua apparent. Hic apud illos est status physiologicus et igitur pubertas praematura dici nequit. Sic etiam in nostris regionibus sunt familiae, quarum puellae juxta normam naturae, sine damno caeteri organismi citius menstruantur. Regula igitur generalis quoad hoc tempus dari non potest. Tanquam exceptiones considerandi sunt casus infantum, ubi jam a primo aetatis anno, sine damno sanitatis omni mense sanguis e genitalibus prodiit, quales citant LOBSTEINIUS in SIEBOLDTII *Lucina*, Tom. I. parte I. pag. 102 et Tom. IV. parte I. pag. 163. MEYERUS, *Syst. Handb. zur Erk. und Heil. der Blutflüsse*, Tom. II. pag. 381. MEDICUS, *Geschichte period. Krank.* Tom. I. pag. 171 et SIEBOLDTIUS, *Hand. der Erkent. und Heil. der Frauenz. Krankh.* Tom. I. pag. 31.

flavis vel rufis, cute candida, alba, quibus antea morbus scrofulosus familiaris fuit, uti saepe testantur chloroticarum maculae in cornea, turpes cicatrices in collo, vel quae rhachitide laboraverunt, unde illarum curvaturae spinae dorsalis et obliquitas pelvis.

Omnes tandem morbi praegressi, qui vitam corporis plasticam summopere infregerunt, ad hunc morbum concipiendum corpus proclive reddunt, etiam exanthemata cutis retropulsa accusant.

Sic AUTENRIETHIUS refert se saepius vidisse Chlorosin oriri in puellis, quae imprudenter unguentis et aliis scabiem a cute removerant, quae tamen Viri Cl. sententia mihi nondum satis probata videtur. Quemadmodum proles saepe tristis est haeres constitutionis debilis parentum, quae tempore pubertatis Chlorosis sub forma se declarabit, sic eo sensu Chlorosis est haereditaria dicenda, cujus rei auctores nobis locupletes testes sunt.

Illa seminia propria in corpore si adsint, facile potentiis sequentibus nocentibus morbus orietur.

Corporis animique salus in ἰσονόμιᾳ quum po–

natur, quumque Pathologi probaverint animi affectus deprimentes infringere vitam plasticam, non mirum observationes eorum vim nocentem in hoc morbo probavisse, ut tristitiae, magni desiderii, cui satisfieri non potest, amoris infelicis, curarum edacium, metus, indignationis, maxime vero si constitutio phlegmatica iis afficiatur.

Non solum affectus deprimentes nocent, sed etiam phantasia libidinosa, provocata lectione librorum de arte amandi et fatis amantium scriptorum, quae in corporibus irritabilibus pubertatem praematuram provocasse testantur auctores. Ad rerum externarum noxas pertinet aër humidus, frigidus. Sic narrat CLESSIUS [1]), nullo alio tempore quam ab anno 1834—1835 tantum numerum chloroticarum suae curae traditum fuisse; duplex erat quam annis praeteritis. Causam quaerit in aëre humido, frigido hiemis.

Defectus porro radiorum solis, habitacula humida frigida hujus loci sunt. Haec confirmant, quod Chlorosis praesertim observata sit annis

---

[1]) *Med. Corresp.-Bl des Württ. ä. Ver.* V. Bd. N. 28.

pluviosis et post inundationes et in regionibus depressis, paludosis. In regionibus septentrionalibus et temperatis, et potius vere et autumno quam quidem aestate et hieme, saepius occurrit morbus.

Alimenta difficilis digestionis etiam occasionem praebent ad hunc morbum contrahendum. Ad haec pertinent farinacea, quae fermentationem non experta sunt, ut puls ex farina praeparata, solani esculenti tubera; nam haec ventriculum non satis irritant et non nisi a robustioribus facile digeruntur. Porro fructus horaei, olera, in acidum flatulentum primarum viarum degenerantia. Horum omnium et similium usus protractus praesertim nocebit torpidis et phlegmaticis. Hujus rei nobis testis est medicus HEYFELDERUS, qui Chlorosin endemice observavit in regione Germaniae, quae vocatur *Hohenzollern-Sigmaringen*. Tanquam rei causas affert paucas esse ibi matres, quae proprio lacte nutriant infantes. Puls ex farina praeparata, caro suilla, en unicum alimentum tenellarum miserarum. Habitaculis neque vestimentis bene arcentur ab injuriis aëris frigidi, humidi, cujus

aëris temperiei in causa est flumen Danubius saepius ripas egrediens et agros perrumpens atque submergens.

Sicuti inter alia cibi ordinarii maxime disponunt ad Chlorosin, ita etiam usus rerum peregrinarum. Sic extant casus virginum placendi studio incensarum et variis praejudiciis tactarum, quae pulcritudinis conservandae cupiditate cretam, calcem aliaque magna edunt copia, ut colorem album et, ut vocant, nobilem contrahant. Maxime vero falluntur in suo judicio, et horrendis symptomatibus Chlorosis stultitiae poenas luunt.

Aquae tepidae, infusiones Theae et Coffeae aquosae larga gula haustae, ut a plebe in nostris regionibus fieri solet, incredibiliter vim solventem succi gastrici minuunt et vim musculorum intestinalium frangunt; non mirum igitur observationes docuisse, earum abusum esse causam occasionalem maxime nocentem: ita ut a Germanis [1]) pro causa primaria habeatur, cur Chlorosis tam familiaris sit in nostris regionibus. Tan-

[1]) Cf. RÖSCHIUS, l. l. pag. 182.

dem alimenta et potus nimis stimulantia, aromatica, spirituosa, propter indigestionem quam faciunt et irritationem ad uterum. Sic FREDERICUS HOFMANNUS refert casum puellae, quae maximopere zingiberis crebriori delectabatur usu, ita ut quotidie fere duas comederet uncias, cujus usu crebriori demum in veram inciderit Chlorosin. Educatio infantum divitum hic iterum probare videtur, nimis exquisitum vitae cultum esse in detrimentum sanitatis; nam puellas divitum urbanas prae aliis chloroticas fieri quotidiana observatione probatur. Ea nempe aetate, quae insignis est hilaritate et mobilitate, in qua tantopere requiruntur motus corporis, excercitia gymnastica, ludi sub dio ad vires conformatrices confirmandas, illorum pueri coguntur ad vitam sedentariam degendam in conclavibus clausis, ut diversa addiscant et fere continuo Musas colant. Ita vires corporis sensim tantopere debilitantur, ut tempore pubertatis non sufficiant ad opus evolutionis systematis genitalis perficiendum.

Morbi tandem diversi acuti et chronici, hac

aetate vires corporis plasticas infringentes, causam Chlorosis ponunt. Ut febres intermittentes pertinaces, morbus scrofulosus, qui, ut fieri solet, hac aetate non cessavit, et tunc triste est indicium, praedominium lymphae, quo infantiae et pueritiae aetas utitur felici metamorphosi, non esse superatum a systemate arterioso; praeterea morbi uteri, haemorrhagiae, menstrua nimis copiosa. Dantur et aliae causae ad Chlorosin disponentes; sufficiat vero principes allegasse, quare harum explanationi nunc supersedemus.

CAPUT VII.

COMPLICATIONES ET IN ALIAS AFFECTIONES PATHOLOGIAS TRANSITUS.

ANDRALLIO consilium debemus diligenter explorare pectus Chloroticarum, nam usus practicus virum magnum docuerat in Chlorosi singularem nasci proclivitatem ad diathesin tuberculosam. Initio hujus phthisis symptomata facile negliguntur: nam dyspnoea et debilitas, ut Chlorosi propria, huic morbo adscribuntur; ad tussiculam siccam matutinam non attenditur, donec tandem et tussis magis pertinax et expectoratio et haemoptysis et motus febriles suspicionem movent, quae auscultationis ope confirmabitur. HUXHAMUS alius vitii pulmonum chloroticarum mentionem fecit, nempe peripneumoniae

nothae, quacum Chlorosis saepe complicatur, propter exercitium nimis auctum, quo pulmones adeo gravantur, ut ingente spirandi difficultate, imo plenaria aliquando suffocatione corripiantur.

Morbus scrofulosus non ita cum Chlorosi complicatur, et durante ejus decursu oritur, sed saepius [1]) illi non curato Chlorosis adjungitur, unde chloroticarum ulcera scrophulosa pedum a diversis auctoribus memorata et abdomen tumidum, durum et status mucosus intestinorum.

A Chlorosi inveterata non curata tam frequenter status hydropicus oritur vel cavitatum pectoris, abdominis, vel telae cellularis ut anasarca et oedema pedum, ut fere nesciamus an non potius inter symptomata Chlorosis inveteratae sit numerandus, quam quidem, ut aliis placuerit, inter hujus morbi complicationes.

---

[1]) A multis auctoribus mihi eo nomine peccari videtur, quod copulam Chlorosis cum morbo scrofuloso necessariam et perpetuam habuerint.

CAPUT VIII.

PROGNOSIS.

Prognosis in Chlorosi simplici fausta est; nullus fere est morbus chronicus, in quo medicus majore cum certitudine aegris sanitatem promittere potest, quam quidem in hoc. Pauca chloroticarum sunt funera, et ea tunc saepius vel a complicatione cum alio morbo vel a cura perverse instituta, uti patebit ex sequentibus BRANDISII: » A Chlorosi duas tantum puellas mortuas vidi. Alteri, quae simul habebat oedema pedum, a medico diuretica praescribebantur, eo cum eventu ut organa uropoiëtica continuo stimulata functionem tandem recusarent, ita ut anasarca oriretur. Tamen continuabat in administrandis diureticis et vomitoriis, quibus om-

nibus misera aegra brevi tempore moriebatur, non vi morbi, ut credo, verum vitio medici."

In altera simul cum Chlorosi aderat verosimiliter vitium cordis. » Nam ineunte juventute, quum in gravem terrorem conjecta fuisset, et propter eum cursum fortem et pertinacem instituisset, contraxerat palpitationes cordis cum pulsuum intermissione. Incrementum tamen corporis celeriter fiebat, et vitae genere placido saepe per longum tempus a malo erat libera. Tempore pubertatis menstrua aliquoties parca fluebant, sensim tamen cessabant non diu post. Ab eo inde tempore omnia reliqua symptomata Chlorosis horribili modo conjungebantur cum palpitationibus cordis et pulsuum intermissione. Motus minimus corporis in causa erat dyspnoeae et animi deliquii. Praescribebam mitiora ferri praeparata et frictiones et clysmata frigida eo cum eventu, ut multo melior facta fuerit aegra. Menstrua tamen non iterum apparebant, et quum hoc ut causa primaria morbi ab aliis haberetur, applicationem 6 hirudinum ad vulvam jusserunt. Ab eo inde temporis articulo morbus terribilem in modum augebatur, ita

ut aegra tempore 12 dierum misere moreretur."

Si diu vero duraverit morbus et inveterata sit propter curam neglectam, si hydrops cavitatum orta sit et febris hectica, prognosis erit minus fausta.

Dubia est in morbi complicatione cum morbo scrofuloso. In pluribus tunc orta observata sunt ulcera scrofulosa extremitatum inferiorum, quae sensim ita vires corporis imminuerant, ut tandem hecticae perirent, uti inter alios docet casus chloroticae CARI ulceribus crurum mortuae. Vix monere necesse est, maxime infaustam fore, in fatali complicatione cum phthisi pulmonali, quae hac aetate cito stadia sua decurrere solet.

CAPUT IX.

SECTIONES CADAVERUM.

Pauca, ut in Prognosi vidimus, Chloroticarum sunt funera, ergo rara extispicia et inter illa, ut credebant, chloroticarum, quae vero accuratius re perpensa et historia morbi diligenter lecta ad hunc morbum non pertinuisse videntur.

Ita sub hoc titulo inveniuntur artresiae vaginae, ostium uteri praeternaturale clausum, cartilagineum et alia, in quibus vero non symptomata Chlorosis, sed omnia ea mensium evacuationis impeditae aderant, ut haemorrhagiae activae, congestiones in abdomine etc., et quae alio loco curata legimus operatione chirurgica, qua exitus menstruorum obstaculum sublatum fuit, quae in

in profusione magnae copiae sanguinis nigri in utero reconditi sequebantur.

Quae in chloroticarum cadaveribus externe conspicua sunt, ut forma pectoris infantilis, mammae parvae et alia, hîc non repetemus. Omnia organa interna etiam colorem tristiorem habent exsanguineum, venae minorem copiam sanguinis continent. Musculi cum ad vitam animalem tum ad organicam pertinentes sunt flaccidi, pallidiores, praesertim cor, quod parietes offert tenuiores et saepe dilatatos.

Lien plerumque minus habet volumen.

Carus [1]) refert se in museo conservare genitalia puellae chloroticae 17 annorum, quae nunquam menstrua habuerit; uterus paullo longior est latitudine pollicis et cavitatem fere non continet, ejusque parietes crassitudinem quarumdam linearum habent.

In aliis [2]) repererunt vaginam admodum angustam et uterum et ovaria illis infantis biennii similia; ovaria nulla continebant ovula Grafiana,

---

1) Lib. I. Pag. 165. 1 Th.

2) Cf. HUFEL. *prakt. Journ.* XX. Bd. Pag. 28.

sed substantiae erant homogeneae glandulosae; genitalibus externis etiam signa pubertatis deficiebant, ut pubes in monte Veneris et ad genitalia, et labia externa non prominebant atque parum erant evoluta.

CAPUT X.

CURA.

Ad viam recte medendi inveniendam, tutissima ea mihi ratio esse videtur ut observatione, comparatione, ratiocinio quantum possimus, cognito morbo, naturae res gestas in eo curando notemus, ut ita e therapeia naturali medendi methodum discamus, non vero noceamus, juvare cupientes.

Diligenti medicorum studio vires naturae medicatrices in hoc morbo perspicue sunt observatae, et docuerunt eam in hoc opere simplicem esse, et omnia ad hoc solum dirigere ut haematosis emendetur, quam evolutio systematis genitalis completa sequetur, et cujus triumphi signa certa erunt menstrua regularia.

His igitur naturam sequentes primariam indicationem generalem superstruimus, ad normalem nempe statum redigendam esse functionem haematoseos.

Ut huic consilio medendi obediamus in Chlorosi simplici prima indicatio in eo consistit, ut cognitis causis occasionalibus morbi, eae removeantur.

Diaetae errores quum saepius in causa sint hujus morbi, cui in leviori gradu sine medicamentis solummodo cura diaetetica medetur, et quum si in ullo morbo, certe in nostra Chlorosi exactae diaetae ratio sit habenda, quae etiam curato morbo per longum tempus erit observanda ne recidivum faciat, non melius facere posse videmur, quam a cura diaetetica initium ducere.

Conducunt omnia alimenta, quae bonum praebent sanguinem et facilia sunt ad digerendum, ut e regno animali ova recentia sorbilia, vel molliter cocta, jusculum carnis, caro vitulina, bubula, gallinacea. E vegetabilibus olera recentia non in flatulentiam primarum viarum degenerantia. Nocent farinacea, quae fermentationem non subierunt, ut puls e farina prae-

parata, solani esculenti tubera praesertim scrofulosis, panis secalineus. Abstinendum a deliciis, a cupediis, quae quum solummodo palatum grate afficiant, ventriculum et gravant et non bene digeruntur.

Pro potu sumantur aqua Fachingensis, Selterana cum lacte, vino rubro, cerevisia; proscribantur infusiones tam amatae Coffeae et Theae, tum potus acidi ut mustum, vinum Rhenanum vilioris pretii.

Multum quoque juvat aër purus, temperatus, serenus, uti in altioribus et temperatis locis tempore verno et flante Euro animadvertitur, et calor solis.

Corporis motus moderatus et adaequatus semper observandus est, vita vero sedentaria maxime evitanda.

Animi pathemata ut iram, moerorem, terrorem et alia cane pejus et angue fugiant.

Si vero morbus non in eo leviori versetur gradu, ut diaeta curari possit, tunc medicamentis opus est.

Tam veterum quam recentiorum Medicorum una et consentiens vox est, huic morbo ferri praeparata mideri, quae ut specificum salutant.

De methodo vero et tempore quo administrari debent, ab omni aevo dissenserunt.

Quoad tempus quo ferrum dari debet, enumeratione facta sententiarum virorum magnorum, patet eorum litem in eo versari, quod ab una parte perhibeant curam statim a ferro esse incipiendam, dum ab altera parte suadeant primas vias prius ad ejus usum praeparare per resolventia, vomitoria, catharctica, alia. Sed audiamus ipsos viros. Ita SYDENHAMUS, dum agit de cura Chlorosis: »Attamen hîc notandum, quod non semper venaesectio et catharctica chalybis usui sint praemittenda, cum viribus admodum imbecillis et diuturnitate morbi attritis fractisque omitti ea possint ac debeant, et cum chalybe statim incipiendum; quod diligenter advertendum;" et antea: »Per hos dies, in quibus venaesectio et catharsis celebrantur, ita plane nihil emolumenti capere aegram, ut in pejus ruere sibi videatur, cum dictae evacuationes tumultu concitato ἀταξίαν promoveant [1])." Sic etiam BRANDISIUS: »Omnes

---

[1]) Cf. SYDENHAMI *Opera Medica*. Genevae 1723. Tom. I. Pag. 419.

ita dictae praeparationes ad usum ferri per resolventia, extracta etc. superflua sunt; salia media et evacuationes cujuscunque generis nocent. Hoc monitum non fundatum est mea theoria, sed multis observationibus."

Ab altera parte stat auctoritas RICHTERI, viri magni, suadentis curam incipere ab extractis amaris, ut Trifol. Fibrini, Gentianae, Absinthii et similibus juxta indicatis [1]).

BRANDISII monitum, nunquam organorum digestionis ad usum ferri praeparatione opus esse, mihi in omni casu non tutum videtur; quia observationes docuerunt, ferri praeparata etiam leniora ut assimilarentur, quemdam tonum requirere, qui aliis medicamentis lenioribus suppeditari poterit, sicut infra videbimus.

De ferri praeparatis porro non conveniunt auctores, alii alia commendantes. A pluribus vero, ut a SYDENHAMO, OSIANDERO, HORNIO, HEYFELDERO, RÖSCHIO et aliis ferrum in substantia laudatur. Sequentia sunt verba SYDENHAMI: »Commodis-

---

1) Cf. *Specielle Therapie.* 3 Bd. Pag. 770. Berlin 1817.

sime vero, aut ego fallor, in substantia exhibetur; atque ut nec observavi unquam ipse, nec fando accepi, eum ita sumptum cuivis nocuisse, ita certiorem me fecit experientia multiplex, nudam chalybis substantiam et felicius et breviori temporis spatio curationem absolvere, quam si is quovis, ex iis qui vulgo feruntur, modo fuerit praeparatus [1])." Et porro: »Si quis objecerit, limaturam chalybis, nisi aeger subinde fuerit expurgatus, in visceribus haerentem, ei, qui illam devoraverit, nocere posse; respondeo me nihil unquam tale in quodam deprehendisse, etc."

Cum his tamen non semper conveniunt observata recentiorum, qui a ferro viderunt pertinacissimas obstipationes, ita ut testetur BRANDISIUS medico raro contingere felici conjunctione aliorum medicamentorum efficere, ut neque diarrhoea chloroticis tam infesta oriatur, neque alvus chloroticis vulgo pigra, adhuc pigrior reddatur. Saepius tamen speratos effectus obtinuit a conjunctione ferri cum sulphure et extracto quodam amaro.

---

[1]) L. l. eodem loco.

Si vero incassum datum sit ferrum ejusque praeparata magno encomio laudata, ut in diariis fieri solet; magni in arte magistri suadent adire thermas minerales. »Attamen si sanguis usque adeo affectus fuerit, tantaque proinde spirituum ἀταξία, ut chalybs praescripta methodo malo vincendo non par sit, adeundae aquae minerales aliquae ferri minera saturae" (ita SYDENHAMUS).

BRANDISIUS fere mirificos effectus vidit ab aqua Driburgensi in curandis aegris, quibus multa ferri praeparata et alia per longum tempus frustra fuerint data. Harum usus tantopere percrebuit ut hodie nullus sit de Chlorosi auctor, qui non solum in re gravi, sed etiam in leviori, pro tota cura aquas ferratas non commendet.

Aquae ferratae, quas terra, benigna mater languidis suis et exhaustis filiis fundit, salutarem vim ei debere videntur, quod mira compositione per θεῶν χεῖρας (ita grata antiquitas) in dissolutione contineant ferrum carbonicum, sales ex basibus Alcalinis compositos: Sodam, magnesiam, calcem et acida: carbonicum, muriaticum, sulphuricum et alia, ut gaz acidum carbo-

nicum, quo materierum diversarum concursu internus quidam conflictus et agitatio quaedam in aquis ferratis sustinetur.

Effectus in corpore humano differunt pro varia materie quam continent, et pro vario quo gaudent gradu caloris. Nam quo magis continent ferrum, eo majori jure roborantium efficaciorum titulum sibi vindicant: quo magis salia in iis insunt et ferri potestas recedit, eo propius ad solventium tribum accedunt. Illae quae frigidae e terra erumpunt, constantius effectum in corpore exserunt, dum calidae stimulo magis fugaci agunt.

Hae aquae in curanda Chlorosi tum pro usu interno, tum pro externo adhibentur. De usu sequentia generalia notabimus.

Usui interno tunc solummodo prosunt si bene digerantur; in eo tamen reliquis ferri praeparatis arte factis praestant, quod ferrum advehunt facilius ferendum (ut solutio Carbonatis ferri cum magna copia Gaz acidi carbonici), assimilandum, et ad corporis penetralia deducendum.

Incipiant aegrae non multum simul ab iis bibere et lente adscendere, et si ventriculum aquam

frigidam ferre non possit, addatur lac calidum.

Balnea turgorem vitalem cutis languentem excitant, musculis energeiam reddunt et cutis absorptione substantias novas sanguini admiscent.

Balnea frigida in hoc opere prae calidis laudantur. Magna tamen in illis attentione dignus est gradus caloris, quoniam ab eo successus curae non minus quam a contentis in iis pendet.

Juxta BRANDISIUM vulgo incipiendum a gradu caloris 86—88 Therm. Fahr., qui diminui potest usque ad 75 vel 78 gradus, si aegrae hoc ferant. In tali aqua per 15 minutas horae est morandum. Si aëris temperies est frigida et humida, ab usu balneorum abstinendum.

Post eorum usum aegrae vel lectum petant vel calorem solis, et tunc motum corporis modicum observent, ita faciendo perspirationi cutis consulent. Addit casum aegrae chloroticae 15 annorum juxta illam methodum, solo balneorum Driburgensium usu, brevissimo tempore curatae. »Post tres dies salutares effectus in cutem adeo conspicui erant, ut color cadaverosus, quo antea omnes in terrorem conjiciebat, jam disparuerit, et obambu-

lare potuerit, non vexata magna dyspnoea et anhelatione, quemadmodum antea. Usus talium balneorum non contra indicatur ut quibusdam placuit, oedemate pedum et anasarca. Cälius aurelianus [1]), avicenna [2]), stollius [3]), brandisius et alii, ab iis speratos successus scriptis mandaverunt, in tali statu hydropico, cujus cachexia in causa erat.

Aqua Driburgensi tandem clysmatis sub forma frigide adhibita brandisio contigit pertinacissimas alvi obstipationes solvere et chloroticarum vermes intestinales (Ascarides lumbricoïdes) molestos ejicere, et conjuncta cum reliqua cura morbo verminoso mederi.

His et aliis aquis medicatis, quas e suo effundit cornu copiae Natura, suas Chemicorum ars addidit, a Medicis tamen dubitatur illas Naturalium vices omni parte supplere posse.

Generalibus his de cura Chlorosis praemissis, ad magis specialia nos accingamus, ita forsitan

---

[1]) *De morbis acutis et chronicis* Amstel. 1709. Pag. 476.
[2]) Canon III. fen. XIV. Tr. IV. c. 13.
[3]) *Rat. Med.* P. IV. Pag. 441.

patebit, quomodo intelligendi sunt felices successus, quos viri magni, ut SYDENHAMUS et RICHTERUS et alii viderunt, curae diverso modo institutae. Quum, ut antea vidimus, Chlorosis juxta symptomata commode in 2 species dividi posse videatur, quumque utrasque illas species tantopere a se invicem differre animadverterimus, nemini mirum videbitur curam non semper eandem fore.

Chlorosis igitur cum stimulorum perceptione adaucta propter orgasmum vasorum et nervorum erethismum initio vulgo recusat curam solitam Chlorosis, quae congestiones faciet, unde fit ut hîc duae oriantur indicationes. Priori imminuenda est nimia actio nervorum et vasorum et ad statum physiologicum reducenda, ut sic via praeparetur ad alteram indicationem, qua conamur haematosin emendare. Ut priori indicationi satisfieret regimen animi requiritur, de quo jam antea sermo fuit. Porro accurate sunt observandae regulae diaeteticae. Alimenta et potus sint blande nutrientia.

Ab HORNIO magno encomio laudantur acida mineralia, et imprimis acidum sulphuricum dilutum

ut orgasmo vasorum medeamur, tum tinctura acida aromatica, ut, si opus sit, simul digestioni prospiceretur. Alii commendant folia digitalis flore purpureo; hujus tamen medicamenti usus mihi in hoc morbo minus tutus videtur, quia observatum est organa digestionis facile ab eo affici. Quam actionem ut emendarent, digitalem in connubio dederunt cum acidis mineralibus.

Dornblüth [1]) in tali casu magno cum successu dedit mixt. Sulph. acida cum tinct. Digitalis aeth. ana partes aequales; sum. 3 de die Gutt. 15–25. Ita praeparato organismo leniora ferri praeparata dari possunt, a parca tamen dosi incipiendum. Ad hanc speciem curandam famam acquisiverunt Thermae alcalinae ut Wisbadenses, Töplitzenses et Emsenses, quae posteriores maxime commandantur a thilenio.

Animadvertendum est in congestionibus, quae aliquando occurrunt in hacce specie, cavendum esse a venaesectione, quae aliquando malo cum successu instituta est, sed vel sinapismos vel ca-

---

1) Cf. *Hufel. Journal*, 58 Bd. 3 st. Pag. 103.

taplasmata imponenda esse, vel hirudines.

In Chlorosi cum torpore nervorum saepius convenit curam incipere a resolventibus et amaris: nam in hac specie, ut antea vidimus, organa digestionis magis solent esse affecta quam in praecedenti. Pro tali cura viscerali aquae Kissingenses commendantur propter vim resolventem, qua gaudent. Non nimis longum tamen in hac praeparatione immorandum est, et nisi statim, tunc certe cito ferrum administrandum: nam observata docuerunt illam conditionem intestinorum emendari ipso ferri usu. Hac in specie limatura ferri, a SYDENHAMO tam impense laudata, vulgo bene fertur, et inter omnia ferri praeparata eximios effectus edit breviori temporis spatio. Cum saccharo, cortice cinnamomi in pulverem commixtum, vel cum extractis amaris in pilulas, bolos redactum, aegris exhibetur, ab initio ad granum unum pro dosi, omni trihorio reiteranda et ad grana 5 paullatim augenda. Constituit basin plurimarum formularum subinde laudatarum. Ita anno praeterlapso a medico Germano sequens formula, ut remedium certissime et citissime agens, in Chlorosi celebra-

tum invenimus [1]), quae constat ex R. Limat. ferr. alcoh. Unc. I. Mel. dr. ij. M. f. l. a. Pill. pond. Gr. iij. Consperg. pulv. cinnam. Sumantur mane et vesp. 5 pill. ad 12 augendum et tunc iterum diminuendum usque ad 5.

In Chlorosi post intermittentes forsitan locus est Sulphati quininae a CARO in Chlorosi laudato; etiam testatur Vir Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN se saepius ab usu alterno corticis et ferri in chloroticis expertum esse salubritatem. In complicatione cum morbo scrofuloso usum ferri cum antiscrophulosis laudant. Hìc a THOMSONO cum successu adhibitum est ioduretum ferri, quod tamen medicamentum juxta auctores adhuc eget ulterioribus experimentis, ut impune commendari queat.

In fatali complicatione cum phthisi pulmonali tuberculosa abstinendum ab omnibus ferri praeparatis; nam a diversis medicis data et laudata nunquam veram phthisin curarunt, sed potius aegras cruciaverunt, tussim auxerunt et congestio-

---

1) Cf. *Die Bleichsucht und ein durch vielfache Erfahrung bewärhtes sicheres Mittel dagegen. Für Aerzte und Nichtärzte;* Leipzig. WILH. LAUFFER. 1838.

nes fecerunt, uti patet ex ipsis eorum auctorum verbis. Cura antituberculosa hic etiam restringi debet, nam » Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin. "

Antequam huic de cura Chlorosis disputationi finem imponam, sequentia adhuc addenda putavi. Mirum certe videri possit plures Veterum Medicorum in cura tantopere differre a recentioribus. Ita a CHAMBON DE MONTAUX in hoc morbo venaesectiones instituebantur. Haec ejus erat sententia de natura morbi : » La première indication est de diminuer la masse du sang, puisqu'il y a une pléthore réelle dans presque tous les sujets attaquées de Chlorose.

Ab aliis magna cum cohorte Emmenagogorum calidorum et frigidorum pugnabatur, vel cum hirudinibus et aliis, ut tandem aliquando menstrua tam desiderata apparerent.

Et aliquando bonos successus habuisse talem curam legimus! Ita tamen haec intelligenda videntur eos non Chlorosin, sed alium morbum, nimirum menostasiam curavisse, quod patebit ex accurata lectione historiarum morborum et ex notione,

quam sibi informaverint de ortu Chlorosis.

Testentur casus BRANDISII, quid expectandum sit a detractione sanguinis in vera Chlorosi, testentur casus aliorum, qui in hoc morbo post insanum usum Emmenagogorum et Nymphomaniam et alia vitia systematis genitalis orta viderunt.

A recentioribus igitur cura huic plane opposita est instituta, eaque in Therapeia Naturali fundata. Tandem intellectum est, amenorrhoeam non esse causam morbi, sed sequelam, et igitur prius functionem haematoseos esse emendandam, quo facto menstrua sponte apperebunt. Hic igitur neque ita dictis Emmenagogis est locus, neque methodo ARCHIBALDI HAMILTONI [1]), qui ut menstrua provocaret, splenium applicabat arteriis cruralibus in loco, cui solet applicari, premens cochlear (*tourniquet*) in amputatione cruris, fasciaque circumducta ita premebatur ipsa arteria. Methodus certe sat rudis et ingrata teneris puellis!

1) Cf. *Essays and observat. Phys. and liter.* Tom. II. Pag. 403 et seq.

EPICRISIS.

Ita comparatum est corpus humanum vivum, ut diversis temporibus diversa admodum in eo observentur phaenomena, ut etiamsi omnes et singulae partes eodem vitae principio animentur, suis singula aetate organis primae tribuantur partes. Nam non semper ita perfectus et compositus est homo, qualem admiramur in aetate adulta viribus florente, sed a sinu matris ad hanc usque aetatem, ab aliâ ad aliam metamorphosin ad illam perfectionem sensim progreditur. Hoc fit per miram illam evolutionem, quae, quo simplicius sit corpus originique proprior embryo, eo majore energeia procedit. Licet haec scena metamorphosium in gremio materno a natura nobis sit studi-

ose obscondita, non ita tamen factum est post hominem natum.

Scimus enim nunc alia alio tempore evolvi organa: caput nimirum aetate infantili, pectus juvenili, abdomen virili denique centrum est, quorsum sanguis mojore ruit impetu atque copia. Observamus nempe has vitae humanae vicissitudines comitari mutatam circulationem in vasis minimis, quae evolutionum sunt officina, dum sanguis earum est fons. Ex his jam intelligitur evolutionis cum nutritione totiusque corporis conditione arctum connubium. Requirit igitur bonam haematosin, quae quum minus fiat ab organo peculiari, uti antea credebatur, sed a bona conditione totius corporis juxta placitum recentiorum Physiologorum [1]); intelligitur hoc opus multis causis nocentibus tum externis tum internis facile laedi posse. Si igitur

---

1) Cf. MULLER, *Handb. der Phys. des Menschen.* 1 bd. 2. Aufl. pag. 145. Haec illius sunt verba: » Wir mussen den Vorgang der Blutbildung und Formation der rothen Körperchen (aus den Chyluskügelchen?) nicht allzusehr in besonderen Organen des Erwachsenen suchen, und es ist sehr wahrscheinlich, dass unter dem Einfluss der allgemeinen Lebensbedingungen, wie sie beim bebrütenen Ei statt finden, auch beim Erwachsenen aus dem Chylus Blut wird.”

haematosis non rite procedat, fieri non potest quin evolutio laedatur et morbi oriantur, qui quum ex perversa evolutione originem ducant, morbi evolutionis dicuntur.

Ad hanc morborum classem merito refertur Chlorosis puellarum, quae eas pubertatis tempore corripere solet; nam evolutio systematis genitalis prae aliis bona haematosi indigere videtur. Hinc statu normali pubertas eo demum invadit tempore, quo omne corporis incrementum diversorumque organorum evolutio, eo pervenerit, ut systematis sexualis evolutio absque totius corporis detrimento fieri possit. Nunc nisus formativus in omne corpus dominatur, pectus latescit, pulmones expanduntur et sanguis arteriosus praevalet. Conformatricium virium summa in genitalibus nunc apparet. Hinc vasa capillaria explicantur, sanguine plena turgent, nervique sensibiliores et crassiores fiunt. His et uterus et tubae Falloppianae et ovaria majus volumen acquirunt, majorique turgore vitali gaudent. His tota regio pelvis majus incrementum capit, et magis protuberant genitalia externa. Ita omnes il-

lae partes functioni brevi peragendae aptae redduntur. Sed si vis plastica sanguinis non sufficiat evolutioni omnium harum partium, quia puella aut debilior est aut propter morbosam ejus conditionem, tunc aequilibrium turbatur inter evolutionem totius organismi et systematis sexualis, et oritur conditio morbosa, quae dicitur Chlorosis et quae primarie in sanguine omnibus partibus nutrimentum largiente conspicitur, cujusque causa proxima est justo debilior haematosis.

Ex hacce autem ratiocinatione, qua Chlorosin morbum esse evolutionis ostendere studui, non tamen sequitur in hocce morbo systema sexuale semper male evolutum esse: nam hoc non conveniret cum observationibus; hoc tantummodo eo studui probare, evolutionem hujus systematis sive ad terminum ducatur, sive non, propter exhaustam vim reproductivam in causa esse hujus morbi. Neque etiam ortum Chlorosis in puellis semper ab evolutione repetendum esse puto, uti multis placuit; nam haud video, cur non ex haemorrhagiis et aliis noxis, quae sensim copiam sanguinis diminuunt, vel ejus crasin mutant, vel haematosin

maximopere infringunt, oriri possit Chlorosis; etiamsi systema genitale sine damno caeteri organismi rite sit evolutum, uti revera docuerunt observationes.

Si igitur morbus ab iis producatur causis, quae haematosin primarie laedunt, si talibus curetur remediis, quae efficiunt ut haecce functio rite procedat et ut crasis sanguinis emendetur, nonne igitur haematosis imperfecta causa est proxima hujus morbi, et ejus sedes in sanguine ipso? Ex quo sanguine peculiari modo affecto, etiam omnia symptomata hujus morbi unum habere fontem, unamque originem probabile mihi videtur. Non igitur assentior iis Franco-Gallis, qui deducunt chloroticarum symptomata uti vomitum, dyspnoeam, convulsiones cet., ab irritatione vel sanguinis congestione quadam topica, quae mihi, in plerisque saltem casibus, ex causa irritationi plane contraria, ex sanguine nempe non satis stimulante, oriri videntur.

Neque cum iis facio, qui causam proximam hujus morbi ponunt in systemate nervoso, uti placuerit SYDENHAMO: » Chlorosin speciem esse affec-

tionis hystericae non dubitanti," et ANDRALLIO ita statuenti: » Le défaut de sanguification convenable dans la Chlorose ne peut résider que dans le seul système nerveux." Nam symptomata nervosa in hoc morbo plerumque non nisi in ejus decursu oriuntur, uti jam antea vidimus.

Aeque minus mihi probanda videtur theoria CULLENII et CABANISII, qui ovariorum impeditam evolutionem causam morbi habent. Hi nempe auctores etiam effectum morbi pro ejus causa accipiunt. Quid vero sentiendum sit de iis, qui in amenorrhoea causam quaerunt morbi, jam antea vidimus.

Sed haec quum ita sint, sequens quaestio proponi possit, unde fiat Chlorosin puellas prae adolescentibus invadere.

Ad hanc quaestionem ita respondere conabimur. Corpus foemineum multis nominibus differt a masculino. Nam in illo architectura laxior, liquida majori copia in illo adsunt et sanguis crasi differt, uti patet ex experimentis repetitis summorum Chemicorum, qui in illo majorem copiam seri invenerunt. Compagem osseam thoracicam

foemineam cum virili si conferimus, magnam differentiam inveniemus quoad capacitatem, quae in foeminea est minor, hinc etiam in illa pulmones minus sunt evoluti. Musculi illam compagem moventes sunt tenuiores, graciliores, unde respiratio et haematosis minus perfectae. Nam haec in regno animali est lex constans: quo magis perfecta sint haematosis, respiratio et vis musculorum, eo magis evoluta esse organa pectoralia, quemadmodum inter alios eleganter probavit CARUS in *Praelectionibus Psychologicis*.

Cum his, quae ita sunt in statu physiologico, si comparemus morem vivendi puellarum, uti sunt: vitae genus sedentarium, unde defectus aëris puri radiorumque solis, et neglectus motus corporis; abusus potuum tepidorum, lorica foeminarum, qua motus liber thoracis impeditur.

Si porro reputemus morbum scrofulosum, qui, uti ex observationibus patuit, saepius in sexum sequiorem cadit, in iis majorem praedispositionem dari ad hunc morbum contrahendum fatebimur.

En igitur tremente manu, labante calamo, fi-

nem dissertationi impositum, cujus elaborationi doleo non longius temporis spatium mihi concessum fuisse.

Sed quid de argumenti elaboratione dicam? Quid de materia ipsa? Haec placet, verum displicet illa; et si quis, nemo certe me melius scit et intelligit, quantâ Virorum Doctorum indulgentiâ hae studiorum meorum primitiae indigeant.

TANTUM.

THESES.

I.

Chlorosis non semper est morbus evolutionis.

II.

Granulationes pulmonales BAYLII non sunt tubercula in statu nascenti.

III.

Non assentior LAËNNECCIO dicenti : »Les mélanoses du poumon peuvent donner lieu à des excavations semblables à celles que produit le ramollissement des tubercules.''

IV.

Perperam ANDRALLIUS statuit, vires ventriculi eo majores esse, quo minores sunt vires reliqui corporis.

V.

Enteritis folliculosa character anatomicus post mortem detectus maxime constans est febris typhoïdeae, illam tamen hujus febris causam non habeo.

VI.

Mutationes in sanguine pariter morbos exprimunt atque partes quaecunque aliae corporis. HUNTER.

VII.

Recte WENDTIUS perhibet, veram Scarlatinae naturam esse inflammatoriam.

VIII.

Hydrops post Scarlatinam, male altera hujus morbi periodus dicta est.

IX.

Non differt Morbus mucosus ROEDERERI a Dothinienteritide auctorum Francicorum.

X.

Princeps indicatio in febri typhoïdea in eo consistit ut emendetur crasis sanguinis.

XI.

Optimum in Peripneumonia vera expectorans venaesectio est. FRANK.

XII.

Nimis temere mihi affirmare videtur ANDRALLIUS, sputa ad sanandam Peripneumoniam prorsus esse inutilia.

XIII.

Probabilis est eorum conjectura, qui febrem putridam a sanguinis corruptela repetunt.

XIV.

Sanguis caret vi motrice propria.

XV.

Facio cum ANDRALLIO : Le dépôt de la matière tuberculeuse au sein d'un tissu n'exige pas nécessairement qu'il y ait eu accroisement ou diminution de l'action vitale ; il y a seulement perversion de sa force normale de sécrétion.